

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Nummotheca Principum Austriae**

ex gazis Aulæ Caesareæ potissimum instructa, & aliunde aucta, quæ a prima ætate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicæ Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicæ Gentis Principes, Lineæ Hispano-Austriacæ, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas LI

**Herrgott, Marquart**

**Friburgi Brisgoviae, 1752**

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241470](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-241470)



tilitia pariter exprimi curarunt: sed qui gladium, *iurisdictionis* signum, Pontificalibus insignibus adderet, quantum ex adductis hactenus typis videre est, primus hic erat ERNESTUS Præpositus.

## PROLEGOMENON TERTIUM GENEALOGIA HABSBURGO-AUSTRIACA IN NUMMIS.

## I.

Dicenda.

**V**isis, qui hodie supersunt, Ducum Austriæ, stirpis *Babenbergica*, nummis, ducimur iam ab amœno numismatices studio in gazas Augustæ Domus *Habsburgo-Austriacæ* locupletissimas: quæ Heroum memoriæ consecrata omnis generis numismata, nummos, monetas, ex auro, argento, ære conspicienda contemplandaque, Augustali sane liberalitate nobis suppeditant. Ne vero tanta nummorum multitudo confusionem gignat, instituti nostri memores, bina duntaxat eorum scrinia, illaque genealogica, hacce tractatione aperiemus. Ac primum quidem illorum tantummodo unum numisma, sed exoticæ magnitudinis continet: in quo cernenda, uno quasi adspectu, integra maiorum series, ex quibus hodierni Archiduces originem trahunt. Alterum distinctis nummis, in theca adservatis, idem argumentum completitur. Itaque ex his ambobus monumentis primam & inchoatam saltem de Augusta gente Austriaca intelligentiam Benevolus Lector, ut quidem bene sperare iubeor, non sine animi voluptate, mente concipiet.

## II.

Schema Genealogiæ Habsburgo-Austriacæ in nummo alchymistico.  
TAB. II.

**E**Cce tibi in nummo, quasi in nucleo, integram *Habsburgo-Austriacorum*-progeniem, a PHARAMUNDO I. Francorum Rege, ad LEOPOLDUM I. Cæsarem Augustum usque deductam. Sed prius ac iconum in eo expressarum contemplationem institutam, operæ pretium erit, rarissimum hocce numisma curate describere. Adservatur illud in ipsis gazis aulæ Vindobonensis, armario secundo, ex catena, æqualis metalli, pendens. Figura est oblonga, seu ovata: altitudine æquat pedem unum & digitos duos, cum dimidio: latitudine pedem unum: crassamento autem uncialem duplicem vix superat. Pondo librarum XIII. & trium unciarum seu XXVI. marcarum & trium unciarum, mensuræ & ponderis Vindobonensis. Superior eius pars alba litteris A A A distincta, argentum indicat, reliquum numismatis flavidum punctis interstinctum, notat aurum. Utrumque metallum in locis, littera B notatis, probatum fuit. An probum sit repertum, mihi examinare non licuit: nec quæstionem ingredi hic lubet: an arte alchymicæ metalla ignobiliora tincturis evehi, atque eum ad gradum nobilitari possint, ut ab aurariis tanquam verum, probum ac legitimum aurum argentumve habeatur?